3

# EXERCITATIO
## DE
# PRINCIPIBVS DIIS
## ARTIS MEDICAE TVTELARIBVS
APVD
VETERES GRAECOS ATQVE ROMANOS

---

AD
VIRVM CLARISSIMVM
# IOSEPHVM DVPONT
PHILOSOPHIAE BACCALAVREVM ET ARTIS MEDICAE
CVLTOREM LONGE DIGNISSIMVM

AVCTORE

## CAROLO FRID. HVNDERTMARCK
CIZENSI.


---


LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMII
MDCCXXXV.


3

# EXERCITATIO
## DE
# PRINCIPIBVS DIIS ARTIS MEDICAE TVTELARIBVS
## APVD VETERES GRAECOS ATQVE ROMANOS.

---

## ΣΥΝΟΨΙΣ.

*§.I.Exponitur, Graecos atque Romanos, cum omnibus fere rebus, tum in primis Arti Medicae diuinam tribuiſſe originem, et recenſentur generatim, quos pro Medicinae Diis inventoribus, tutelaribusque habuerunt.* §. II. *Sigillatim demonſtratur, Artis ſalutaris numina fuiſſe, Hermetem.* §. III. *Iſidem.* §.IV. *Cybelem.* §. V. *Serapidem.* §. VI. *Bacchum.* §. VII. *Arabum.* §.VIII. *Mineruam.* §. IX. *Dianam.* §. X. *Chironem Centaurum.* §.XI. *Prometheum.* §.XII. *Teleſphorum.* §. XIII. *Docetur, nobis principes artis Medicae tutelares Deos hic eſſe, quorum fit mentio in iureiurando Hippocratis.* §. XIV. *Meibomii commentarius in iusiurandum Hippocratis circa quaedam notatur, et vberior dicendorum explicatur ratio.* §. XV. *Ex inſtituto fuſius agitur de* APOLLI-

NE. §. XVI. *Diſputatur de* AESCVLAPIO. §. XVII. *de* HYGEA. §. XVIII. *de* PANACEA. §. XIX. *Sequuntur pia vota pro ſalute Viri Clariſſimi,* IOSEPHI DVPONT, *ex Academia Lipſienſi in Pragenſem reuertentis nuncupata.*

§. I.

GRaeci quondam veteres atque Romani id habuerunt ſingulare, vt, rerum ſuarum initia numquam non auguſtiora facturi, artium atque ſcientiarum primam originem et inuentionem a Diis immortalibus profectam eſſe, et ſibi ipſi, et aliis ſummo opere perſuadere voluerint. Hanc eorum ſententiam in primis de arte Medica fuiſſe, exinde facile patebit, quod nullum fere celebriorum Deorum, quos putarunt, habuerint, quin eundem ad artem ſalutarem, aliqua ſaltim ex parte, inueniendam et perpoliendam quid contuliſſe, et hinc eidem vt Numen Tutelare praefuiſſe, ſint arbitrati. Hinc nobis, iam id argumenti ſumentibus, vt quaedam de Diis Artis Medicae Tutelaribus diſputemus, tanta eorum offertur copia, tam inſignis multitudo, vt profecto dubii haereamus, de quibus eorum praecipue agere praeſtet, cum de omnibus, hunc in cenſum referendis, iam pro dignitate exponere per anguſtiam temporis non liceat. Medicinae inuentionem Diis fuiſſe attributam, praeter CICERONEM a) aliosque, comprobat etiam auctor ille, qui de *Veteri Medicina* edidit librum, qui plerumque HIPPOCRATI, ſed falſo, quod videtur τῷ πάνυ CONRINGIO, b) adſcribitur, et quidem his verbis: c) καὶ ὠήθησαν

a) *Tuſcul. Quaeſt. Lib. III. Cap. 1.*

b) Vir conſummatae eruditionis cenſet, ſcriptorem illius libri, antiquum quidem, ſed minime Hippocratem, potius ex Acronis ſcholae ſectatoribus vnum eſſe, quam ſententiam tuetur in §. VII.

σαν ἀξίην τὴν τέχνην Θεῷ προσθεῖναι, ὡς καὶ νομίζεται. Haec vero non modo apud Graecos atque Romanos ita fuiſſe, ſed Aegyptios etiam, Phoenicas, aliasque gentes complures, quam doctiſſime demonſtrauit Vir Cl. DAN. VINK, d) qui hos praecipue recenſet, ab Aegyptiis maximam partem inventos, et inde ad Graecos atque Romanos delatos: HERMETEM, ISIDEM, SERAPIDEM, BACCHVM, ARABVM, et apud Romanos in primis et Atticos, APOLLINEM, AESCVLAPIVM, eiusdemque filias HYGEAM et PANACEAM, quibus commode adhuc addi poterunt, PALLAS ſiue MINERVA, DIANA, CHIRON, PROMETHEVS, atque TELESPHORVS, et ſi qui erunt reliqui.

§. II.

HERMES, Aegyptiis THOTH, nullus fuit alius, niſi Latinorum MERCVRIVS, pro Medicinae inuentore, e) et eiusdem Numine Tutelari a veteribus habitus, quod prius inter alios comprobat ſatis luculenter FREINSHEMIVS, f) poſterius autem haec teſtari videtur marmoris inſcriptio: g)

DEO. MERC.
M. NONIVS. APR
VS. CARINVS
PRO. SALVTE. SVA
V. S. L. M.

quoniam non alios niſi Tutelares Medicinae Deos pro reſtituenda valetudine, et conſeruanda ſalute implorare conſueverunt, id, quod paullo inferius de marmoribus ISIDI, APOL-



Diſſertationis: *De incubatione in fanis Deorum Medicinae cauſſa olim facta. Helmſtadii 1659.*

c) Περὶ ἀρχῆς Ἰατρικῆς. *in Opp. Hippoc. Tom. I. pag. 27. Ed. Lind.*

d) *In Sect. I. Cap. I. de Diis artis medicae inuentoribus*, libri ſui elegantiſſimi, qui inſcribitur: *Amoenitates Philologico-Medicae, in quibus Medicina a ſeruitute liberatur. Traiect. ad Rhen. 1730.*

e) Conf. SCHVLZIVS *in Hiſt. Med. Period. I. Sect. I. Cap. 1. §. 17. ſeqq.* LE CLERC *dans l'Hiſtoire de la Medicine Liv. I. Chap. 5.* et DAN. VINK *in libr. iam laudat. Sect. I. cap. 1.*

f) *ad Curt. Lib. III. cap. 6. §. 17.*

g) GRVTERVS *MLXVII. n. 13.* Conf. REINESII *Syntagm. Inſcript. Cl. I. Inſcript. LXXV.*

LINI, AESCVLAPIO, HYGEAE, aliisque eiusmodi ſacris, nobis fuſius explicabitur.

§. III.

Ad ISIDEM quod attinet, quae Aegypti antiquiſſima fuit Regina, ab incolis pro Dea culta, ipſa ſe apud DIODORVM SICVLVM, h) ab HERMETE ſiue MERCVRIO artem Medicam didiciſſe profitetur his verbis: Ἐγὼ ΙΣΙΣ εἰμὶ ἡ Βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ ΕΡΜΟΥ. Eandem artis Medicae inuentricem, Praeſidemque fuiſſe, egregie confirmat TIBVLLVS: i)

*Nunc DEA, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe MEDERI*
*Picta docet templis multa tabella tuis.*

Licet enim DEMPSTERVS k) cum aliis haec verba de naufragorum tabulis in eius fano ſuſpenſis explicanda putet, quod nauigii fuerit Praeſes; contra tamen eundem variis ex locis euincit Cl. VINK l) ad *medicum officium* ſimul alluſiſſe poetam. Eiusmodi tabulae exemplum refert REINESIVS: m)

ISIDI. ET. SERAP
SACRVM
EX. VOTO
PRO. FILIOLI. SALVTE
SVSCEPTO
SAVRANA. FECIT

Dicta hinc fuit *Salutaris*, vt eſt in inſcriptione apud FABRETTVM: n)

I. S. I. P. D. M.
ISIDI. SALVTARI
PRO. SAL. Q. VERGILII
MODESTI. CASSIA. MAT.
V. S. D. o)

§. IV.

h) *Lib. I. p. 23. edit. Laurent. Rhodoman. quae Hannouiae prodiit apud Wechel. MDCXV.*
i) *Lib. I. Eleg. III. v. 27.*
k) *In Paralip.* ad ROSIN. *Lib. II. Ant. Rom. cap. 2.*
l) *in lib. cit. cap. I. §. 6.*
m) *in Syntagm. Inſcript. Claſſ. I. n. CXXXII.*
n) *Inſcript. Rom. cap. IV.*
o) Conf. RICHARDVM MEAD *in Diſſertatione de nummis qui-*

## §. IV.

Quid ad Medicam artem inueniendam contulerit MAGNA MATER DEORVM, alias CYBELE dicta, hic ſigillatim enarrare dubitauimus, quod nondum ſatis liqueat, ISISne cum CYBELE vna eademque Dea, diuerſa tantum nomine fuerit, nec ne. Id ſaltim veriſimile admodum eſt, quoniam vnum vtriusque numen, quod narrat MEAD p) ſociatis in eodem ſimulacro ſymbolis, colebatur Romae in Circo Maximo, inſigne capite turrito, leonem in ſublimi agitans, et haec, quod ſatis conſtat, MAGNAE MATRI ſigna fuerunt propria, et ſiſtrum manu attollens, ISIDIS alias quod ſemper et vbique nota characteriſtica eſſe conſueuit. Quam ſententiam egregie confirmare videtur MACROBIVS. q) *Quis ambigat*, inquit, MATREM DEVM, *terram haberi?* et paullo inferius: *Nec in occulto eſt, neque alium eſſe* OSIRIM, *quam ſolem, nec* ISIN *aliud eſſe, quam terram, vt diximus, naturamue rerum.*

## §. V.

SERAPIS ſiue APIS, vel OSIRIS, Rex antiquiſſimus Aegypti r) ab incolis pro Deo Maximo cultus, ISIDIS maritus, HERMETIS, vt CLERICO videtur s,) fuit aequalis, apud veteres ob inuentionem Medicinae ſatis inclutus, id quod plurimi ſcriptorum loci, nummi, et marmorum inſcriptiones eidem dicatae, ſatis ſuperque comprobant. Ita CICERO: t) *Qui igitur conuenit, aegros a coniectore ſomniorum potius, quam a Medico petere Medicinam? An* AESCVLAPIVS, *an* SERAPIS, *poteſt nobis praeſcribere per ſomnium curationem valetudinis?*

Quod

*busdam a Smyrnaeis in Medicorum honorem percuſſis, 1725.* et BROVKHVSIVM ad cit. loc. TIBVLLI.

p) *ibid. p. 56.*

q) *Saturn. Lib. I. cap. 21.*

r) *id. lib. cit. cap. 20.*

s) *Dans l'Hiſtoire de la Medicine Part. I. Liv. I. Chap. 6.*

t) *Lib. II. de diuin. cap. 59.*

Quod etiam elucet e monumentis et marmoribus variis, quorum exemplum ſupra in ISIDE retulimus. v)

§. VI.

BACCHVS, Latinis qui plerumque LIBER PATER, et Graecis in primis ΛΥΑΙΟΣ atque ΔΙΟΝΥΣΟΣ vſurpatur, quem alii pro Oſiride Aegyptiorum, x) alii pro Apolline ſiue ſole vel pro Marte habent, y) vini inuentor, de quo ſatis conſtat, Medicus etiam celebratus fuit, id, quod pluribus claſſicorum ſcriptorum locis in vnum collatis, egregie confirmauit ſaepius laudatus VINK, z) et haec quoque teſtatur inſcriptio: a)

PRO. SALVTE
P. ANNI. AMYCI. RVFI. ARAM.
LIBERO. PATRI
ASIAMENES
DONVM. DEDIT
C. P. A. A. R. F.

§. VII.

ARABVS, de quo hic loci, vt Deo Medicae artis inuentore et praeſide, etiam dicimus, obſcurum ſatis, ita ſi loqui fas erit, inter Gentilium Deos numen, Apollinis et Babylonis filius fuit, de quo PLINIVS ita: b) *Medicinam Aegyptii apud ipſos volunt repertam; alii per* ARABVM, *Babylonis et Apollinis filium* etc. Et praeter illum nullus alius, quantum ego quidem noui, et quod etiam notauit CLERICVS, c) ARABI mentionem fecit, de quo CELLARII ſingularem inuenies ſententiam, quam ſis conferre poteris. d)

§. VIII.

v) Conf. PLVTARCHVS in libro de *Iſide et Oſiride.* et DEMPSTERVS *in Paralip.* ad ROSIN. *Antiq. Rom. Lib. II. cap.* 21. *et* 22.
x) DIODORVS SICVLVS *Lib. I.* et PLVTARCH. *loc. cit.*
y) MACROBIVS *Saturn. Lib. I. cap.* 19.
z) *in cit. libr. cap. I.*
a) REINES. *Inſcript. Cl. I. n. CCLXXII.*
b) *Hiſt. Nat. Lib. VII. cap.* 56.
c) *Dans ſon Hiſtoire de la Medicine Part. I. Liv. I. Chap.* 2.
d) *Origin. et Antiq. Med. Cap. II.* de AESCVLAPIO et CHIRONE §. 10.

§. VIII.

De PALLADE ſiue MINERVA, Medicae artis Praeſide, tam innumera apud veteres occurrunt teſtimonia, vt fere ſuperfluum eſſe videatur, eadem huc conferre, niſi haec tantum repetere iuuet, vbi ab auctoribus cognomine HYGEAE et PAEONIAE MINERVAE inſignitur, quod vtrumque inuenitur apud PAVSANIAM. e) Immo κατ᾽ ἐξοχὴν MINERVA MEDICA vocatur in marmore: f)

MINERVAE. MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA. SAMMONIA
VERCELLESIS. V. S. L. M.

§. IX.

DIANA etiam, vt Dea Medicinae, ſatis cognita eſt atque celebrata, et inde ΟΥΛΙΟΣ dicitur cum fratre Apolline, quod *ſalutiferam* ſignificat, de cuius templis, et cultu diuino ob artem ſalutarem, cui praeeſſe credita fuit, fuſius eſt apud iam ſaepius laudatum SCHVLZIVM. g)

§. X.

CHIRON CENTAVRVS, Saturni et Philyrae filius, h) clarior paullo fuit, eo ſaltim nomine, quod Aeſculapium ſibi traditum educauerit, et eundem artem docuerit Medicam, vt eſt apud APOLLODORVM. i) Illi a Magnetibus, quod refert PLVTARCHVS, k) primitiae oblatae fuerunt, quod primus Medicinam feciſſe exiſtimatus ſit. Quod et comprobat SVIDAS: ΧΕΙΡΩΝ ΚΕΝΤΑΥΡΟΣ, ὃς πρῶτος εὗρεν ἰατρικὴν διὰ βοτανῶν.



e) *in Atticis.*
f) *Apud* GRVTERVM *MLXIX. n. 3.*
g) *in Hiſt. Med. Period. I. Sect. II. cap. 1.*
h) APOLLODORVS *Lib. I. cap. 2. §. 4.*
i) *Lib. III. cap. 10.*
k) *Lib. III. Symp. Quaeſt. I.*

## §. XI.

Huic ſubiungimus iure meritoque PROMETHEVM illum, cum ob aliarum artium, tum Medicae inprimis inuentionem inclutum, de quo ipſe gloriatur apud AESCHYLVM. l) Et licet iſte minus recte in numerum Deorum Medicorum multis referri videatur; id tamen recte et ordine fieri, quam plurimis additis cauſſis et rationibus, SCHVLZIVS m) egregie demonſtrauit.

## §. XII.

TELESPHORVS, qui et ACESIVS et EVEMERION dicitur, non quidem proprie horum in numero eſſet recenſendus, quia ille non ob artis inuentionem celebris eſt, ſed hac potius de re, quod pro Deo cultus fuerit a morbis conualeſcentium, pluribus quod narrat BERNARDVS DE MONTFAVCON, n) qui eundem in veteri monumento inter AESCVLAPIVM et HYGEAM medium collocatum exhibet.

## §. XIII.

Nulli dubitamus, eſſe adhuc complura veterum numina, quae iure quodam his adſcribi potuiſſent, ſed cum iam, praeter omnem ſpem atque opinionem, ab argumento longius iuſto nobis declinatum ſit, magis rurſus eo reflectendam eſſe orationem cenſemus. His itaque omnibus relictis, propius accedimus ad tractationis partem ſpecialiorem, vbi de PRINCIPIBVS tantum DIIS ARTIS MEDICAE TVTELARIBVS agere certum eſt. Vt ne vero aliquis de eo in nos inuehi poſſit, nos haec numina potiſſimum pro principibus cognouiſſe; ſciatur oportebit, nos eos interim praecipuos ſumſiſſe Deos, quorum nominum religione HIPPOCRATES o) Medicorum maximus, veteres Medicos ad fidem adſtringi voluit, ita dato ſacramento: Ὄμνυμι ΑΠΟΛΛΩΝΑ ΙΗΤΡΟΝ, καὶ ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ, καὶ ΥΓΕΙΑΝ, καὶ ΠΑΝΑΚΕΙΑΝ, καὶ Θεὺς πάντας, καὶ πάσας ἵςορας ποιεύμενος. et reliqua.

§. XIV.

l) *in Tragoedia*, cui nomen PROMETHEVS *v. 454. ſeqq.*
m) *in Hiſt. Med. Period. I. Sect. II. cap. 1. §. 39.*
n) *Dans ſon Antiquité expliquée Part. I. Tom. I.*
o) *in Iureiurando p. 42. ed. Lind. Lugduni Batauorum 1665.*

§. XIV.

Propius itaque iam accingimur ipſi tractationi, prius vero, quam id negotii facere adgrediamur, Beneuolus Lector monendus erit, nos non opus antea actum et iam occupatum, quod quibusdam fortaſſis primo intuitu ita videbitur, agere. Minime latet, his de Diis iam aliquam partem ex inſtituto diſputaſſe Cl. MEIBOMIVM in elegantiſſima *Commentatione in Iusiurandum Hippocratis*, quae nobis etiam eſt ad manus; id tamen facile patebit, eum rem ita inſtituiſſe, vt quam plurima immiſceret, quod eius pace dixerim, quae huc minus ſpectant, aliis e contrario huc pertinentibus omiſſis, immo vt pluribus leuioris momenti rebus iuſto diutius inhaereret: licet id non poſſimus non confiteri, eius opus, quod reliquum, ſatis eſſe laborioſum. Vt iam taceam, nullam rem vmquam tam perfecte, tam abſolute dici, quin aliquid addere, et in ordine, vel alia quauis in re quiddam emendare poſſimus, quamuis id mihi hac in re non arroganter ſumam atque attribuam, aliis potius iudicandum relinquens, quid mihi iam actum eſſe arbitrentur. Et haec tandem potiſſimum dicendorum inſtituetur ratio, vt non, quae vndique corradi poſſent, in vnum cumulum colligamus, ſed praeſtantoribus tantum demonſtratis, quae rei ſufficiunt explicandae, fontes primos accuratius ſuppeditemus, vnde reliquorum vberior cognitio commodius poterit peti atque deſumi.

§. XV.

Primus itaque omnium, qui recenſendus obuenit, erit APOLLO, reliquorum, AESCVLAPII nempe pater, HYGEAE et PANACEAE auus, quem veteres putauerunt ſuperſtitioſi. Fuerunt vero quondam eius nominis plures, niſi fabularum ſtudioſa antiquitas, vnum et eundem, origine et officiis tantum eius varie narratis, pro variis fortaſſe habuit. Quatuor Apollinum ipſe CICERO p) fecit mentionem, ex quibus, ſi qui fuerunt varii, tertius, Ioue et Latona natus, noſter eſſe videtur. Facit nobiſcum BERNARDVS DE MONTFAVCON



p) *de Natura Deorum Lib. III. c. 23.*

CON q) qui ſex Apollines diuerſos ex CLEMENTE ALEXANDRINO refert: *D'autres auteurs, donnent à* APOLLON *des origines fort differentes; mais celui, que les poetes et tous les monumens celebrent, eſt le fils de Jupiter et de Latone.* Iouis itaque et Latonae filius, cum ſorore Diana in inſula Delo natus eſt. r) Num iſte vnus idemque fuerit, qui *Ianus* s) vel *Mercurius*, t) vt nonnulli exiſtimant, iam non eſt res noſtri iudicii, ideoque id aliis efficiendum relinquimus, de eo ſaltim tranſactum eſt, *Apollinem* et *Phoebum* ſiue *Solem*, eſſe eundem. Quatuor in primis rerum creditus fuit inuentor et praeſes, artis cithara et lyra canendi, iaculis feriendi peritiae, vaticinii, et tandem ARTIS SALVTARIS, in quod vltimum iam diligentius paullo anquiremus. Vel ex nominis deriuatione Grammatici abſurde ſatis hoc vario modo extorquere contendunt, quando eum nomen habere dicunt ἀπὸ τȣ̃ ἀπελλεῖν, v) quod *mala depelleret et morbos*, non ratione habita, veri eſſe longe ſimilius, eius nomen iuſtius deduci poſſe, ſi, a quo verbo deriuetur, quid vrgeat neceſſitas, ab ἀπόλλυμι, quod *perdere* ſignificat, quae etiam eſt non nullorum ſententia, Sed de hoc, quod libet et quod ſatis, Critici tranſigant, praecipue, quo tandem modo Apollini id nomen inde deductum conuenire putent, vt auguri, vt Muſices inventori. Veteres eidem adſignaſſe artis Medicae inuentionem, et eum hac de re ſumma coluiſſe religione, ex innumeris monimentis et locis colligere erit. x) Duarum vero partium

q) *Dans l'antiquité expliquée Tom. I. Part. I. Liv. III. chap. 3.*

r) OVIDIVS *Metamorph. Lib. VI. v. 189. ſeqq.*

s) MACROBIVS *Lib. I. Saturn. cap. 9.*

t) *Idem l. c. cap. 19.*

v) Variae huius nominis origines longius petitae, et ſatis ridiculae inueniuntur apud eundem MACROBIVM *l. c. cap. 17.* Sententiam adhuc EVSEBII ſaltim de eius nominis ratione addere liceat, qui Apollinem dici exiſtimat, ὡς ἀπαλλάττων καὶ ἀπολύων τῶν περὶ σῶμα νοσηματικῶν παθῶν. *Lib. III. Praeparat. Euangel. cap. 1.*

x) BARO HERBERT DE CHERBVRY in libro: *De Religione Gentilium, errorumque apud eos cauſſis p. 171. ſeq.*

tium in primis Medicinae inuentor creditus fuit, *Medicinae ocularíae*, y) et *Botanices* ſiue *artis herbariae.* z) De eo ipſe gloriatur apud OVIDIVM:

*Inuentum MEDICINA meum eſt, opiferque per orbem*
*Dicor, et HERBARVM eſt ſubiecta potentia mihi.*

Rem ſatis declarant innumera, quibus inſignitus fuit, cognomina. Ita pluribus in locis ΙΑΤΡΟΣ dictus fuit, vt eſt inter alios apud lepidiſſimum fabularum ſcriptorem, ARISTOPHANEM, a) vbi Carion ſeruus de eo ita conqueritur:

τῷ δὲ Λοξίᾳ
Ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου
Μέμψιν δικαίαν μέμφομαι ταύτην, ὅτι
ΙΑΤΡΟΣ ὢν καὶ μάντις, ὥς φασιν, σοφὸς
Μελαγχολῶντ᾽ ἀπέπεμψε, μου τὸν δεσπότην

Deinceps inter alia, quorum millia circiter enumerat LILIVS GYRALDVS, b) nomina, haec etiam habuit, vt diceretur praecipue Athenienſibus ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ, c) Eleis ΑΚΕΣΙΟΣ, ΟΥΛΙΟΣ Mileſiis et Deliis, PAEAN Romanis, et quae ſunt eiusmodi infinita alia, de quibus omnibus apud illum redditis rationibus inuenitur. ΙΗΙΟΣ et ΣΩΤΗΡ SOPHOCLI d) nominatur, ΑΚΕΣΤΩΡ dicitur EVRIPIDI. e) Commode hic loci addi poterit locus MACROBII: f) *Sed et Lidii colunt* APOLLINEM ΛΟΙΜΙΟΝ; *hoc cognomine finita peſtilentia nuncupa-*



y) HYGINVS *Fabul. Lib. I.* de quo loco CLERICVS: *Dans l'Hiſtoire de la Medicine Part. 1. Liv. 1. chap. 7. Hyginus y entend bien plus de fineſſe, lorsqu' il dit, qu' Apollon a eté le premier Medicin oculiſte; faiſant alluſion à la clarté du ſoleil, et à ce que les poetes appellent oeuil du monde.*

z) OVIDIVS *Metam. I. v. 521.*

a) *in Pluto Act. I. Sc. I. v. 8. ſeqq.* vbi vid. Scholia *in locum eundem.*

b) *in Hiſt. Deor. Gent. Lib. VII.*

c) VAILLANT *in Num. aer. Impp. Rom. Part. II. in num. M. Iul. Philippi Sen.*

d) *in Oedipo Tyranno.*

e) *in Andromacha v. 900.*

f) *Lib. I. Saturn. c. 17.* Conf. in primis IOAN. HENR. MEIBOMII elegantiſſima commentatio *in Iusiurandum Hippocratis c. IV.*

*cupatum. Eadem opinio,* pergit, SOSPITALIS *et* MEDICI DEI, *in noſtris quoque ſacris fouetur. Namque virgines Veſtales ita indigitant:* APOLLO MEDICE, APOLLO PAEAN. Hic a permultis melioris notae ſcriptoribus diſertis verbis artis Medicae inuentor celebratur, vti eſt apud PINDARVM: g)

Ὁ καὶ βαρειᾶν νόσων
Ἀκέσματ᾽ ἄνδρεσσι καὶ
Γυναιξὶ νέμει.

Item artem ſalutarem ab Apolline inuentam et cum poſteris communicatam, ita demonſtrat EVRIPIDES: h)

ὅσα ΦΟΙΒΟΣ
Ἀσκληπιάδαισιν παρέδωκε
Φάρμακα πολυπόνοις
Ἀντιτεμὼν βροτοῖσι.

Inde etiam *ars Medica* OVIDIO abſolute dicitur *ars Apollinea,* i) et alio in loco *Phoebea.* k) Hoc etiam Apollini attributum inuenimus in recenſione egregia quatuor eiusdem munerum apud HORATIVM: l)

*Augur et fulgente decorus arcu*
*PHOEBVS, acceptusque nouem Camenis,*
*Qui SALVTARI leuat ARTE feſſos*
*Corporis artus.*

Huc conferri poterit, veteres credidiſſe, Apollinis in poteſtate eſſe poſitum, vt pro lubitu iratus regiones et vrbes morbis puniret, quod notat SERVIVS, m) his verbis: *Notandum ſane,* APOLLINE *offenſo, peſtilentiam creari ſemper, quod etiam Homerus oſtendit, cum eum armatum inducit ſagittis.* Comprobant id porro inſcriptiones, Apollini ob recuperandam ſalutem ſacrae, eiusdem imagines, quibus varii veterum nummi ſignati fuerunt, et tandem ſimulacra paſſim occurren-

g) *Pyth. Od. V. v. 85.*
h) *in Alceſt. v. 969.*
i) *Lib. III. Triſt. El. III. v. 8.*
k) *Lib. III. Faſt. v. 827.*
l) *in Carmine Saeculari v. 60.*
m) ad VIRGILII *Aen. Lib. III. v. 138.*

currentia. Eiuſmodi inſcriptionem, quae Legiuni exſtat, oppido Inſubrum, refert MEIBOMIVS, n) vbi tamen, cum ille locum, vnde deſumta eſt, citare dubitauerit, ſit fides penes auctorem:

SACRVM
NVMINI
APOLLINIS
L. NAEVIVS
SECVNDINVS
PRO. SALVTE. SVORVM
T. V M. V.
V. S. L. M.

Sed haec fortaſſis maiori fide digna eſt, quam debemus REINESIO: o)

APOLLINI. INVICTO
EX. VOTO
PRO. SAL.
D. N. TI. CLAVDI. AVG.
FLORENTISSIMI. PRINCIP.
C. IVLIVS. SCYLEROS. V. C.
AVG. N. PROC.
V. CVR

Ad nummos vero quod attinet eiusdem imagine conſignatos, exempla plura occurrunt apud RICHARDVM MEAD, p) vbi ſiſtitur dextra herbam, ſiniſtra citharam gerens, habens nomina ibidem CONSERVATORIS, q) et in alio SALVTARIS, r) ſi quid MEAD in recenſendis nummis ſuis omni ex parte fidem habere decet, de quo dubitatur. Hic vero in nummis, vt Apollo Medicus, non laurea, ſed ſtrophio revinctus conſpicitur, quod idem demonſtrat MEAD, qui et cauſſam addit, quam ex PLVTARCHO ſibi inueniſſe videtur. s) Palmam quoque Apollini ſacram fuiſſe, teſtatur CHERBVRY

n) *in libr. cit. cap. IV.*
o) *Cl. I. Inſcript. CCXLIX.*
p) *in nummis a Smyrnaeis in honorem Medicorum percuſſis p. 48.*
q) *Idem lib. cit. Tab. III. n. 17.*
r) *Idem Tab. III. n. 12.*
s) *Idem p. 47. ex* PLVTARCHI *ſympoſ. Lib. IX. quaeſt. 14.*

BVRY, t) et quidem ex IVLIANO Imperatore, licet ille cauſſam non addiderit, vtrum ob artem Medicam, an alia de re illi haec arbor ſacra fuerit habita. Plurima eius inueniuntur ſimulacra, vbi pingitur et fingitur vt iuuenis imberbis qualemcunque ob cauſſam, licet ſingulare et contrarium aliquid afferat ex LVCIANI *dialogis* MEIBOMIVS, v) vbi ei ſerpens, ſemper artis Medicae ſignum, quod in omnibus fere, de quibus iam ordine dicturi ſumus, Diis adiunctum eſſe animaduertemus, appoſitus conſpicitur. Quod ita teſtatur MONTFAVCON: x) *Ont le voit quelques fois avec un ſerpent, comme auteur de la Medicine, dont le ſerpent eſt la marque.* Retulit idem paullo inferius eodem in loco aliud quoddam marmor, quod Romae inuenitur, y) eius imaginem ita inſculptam habens: *Le bel Apollon de Belvedere à demi nû, porte un manteau ſur l'epaule, il s'appuie de la main gauche ſur un tronc d'arbre ou eſt un ſerpent, ſymbole de la Medicine.* Cum vero *Serpens* pro generali atque communi *Medicinae ſigno* habeatur, iam de eo quid nonnulli cenſeant, qualemque eius rei rationem eſſe putent, paucis enarrare liceat. LILIVS GYRALDVS, z) hanc eſſe cauſſam exiſtimat, quod ſerpens pluribus morbis obſit atque officiat, et multis remediis ſecundum PLINIVM ſit vtilis, vel quod, ſicut ſerpens, vt nonnulli putant, pellem mutando ſeſe renouet; homo quoque per Medicinam ceu renouetur, nouumque corpus remediis operantibus nanciſcatur. Serpentem autem plurium Deorum ſignum fuiſſe, propter animalis huius felicitatem, vigilantiam, ſalutem, potentiam, exponit eruditiſſimus CELLARIVS, a) licet ego non ſatis aſſequi valeam, quaenam ſit ſingularis

t) In libro *de religione Gentilium errorumque apud eos cauſſis p. 173.*
v) *in loc. cit. cap. IV. §. 20. 21.*
x) *Dans l'Antiquité expliquée Part. I. Tom. I. Liv. III. Chap. 3.*
y) DAN. VINK *in libr. cit. Cap. I. §. 12. Exſtat hodie Apollinis Medici ſimulacrum marmoreum Romae in hortis Pontificis ſecretis, loco, quem Belvedere vocant, excellens artificis Graeci opus, teſte MEIBOMIO.*
z) *in Hiſtor. Deor. Gent. Lib. VII.* a) *in Orig. et Antiq. Med. c. II. §. 6.*

ſingularis ſerpentis felicitas, et quae reliquae eius narrantur virtutes, vt hinc Diis pro ſigno et nota apponeretur. Occurrunt etiam *templa* permulta Ἀπολλώνια vulgo dicta, in quibus Apollo Medicus cultus fuit In Graecia duo fuerunt celebratiſſima, vnum Delphicum, in quo Hippocrates aeneum hominis ſceleton Apollini dedicaſſe dicitur, b) alterum in inſula Co, vbi ad eius aram morbi et media, quibus ſanitas inſtauretur, examinata fuerunt, morbi genere, ſymptomatisque deſcriptis, c) in quo ius etiam aſyli fuit, pluribus narrante TACITO. d) Nec minus celebres fuerunt aedes Apollini ſacrae apud Romanos, ob impetrandam valetudinem publicam votae, et dedicatae, teſtante LIVIO: e) *Peſtilentia eo anno aliarum rerum otium praebuit, aedes Apollini pro valetudine populi vota eſt.* Qui et alio in loco fecit mentionem aedis Apollinis Medici ad Tiberim. f) *Ad ludos Apollinares* quod tandem attinet, vnde nomen acceperint, paucis hic annotare iuuat, eos nimirum non valetudinis cauſſa inſtitutos fuiſſe, iuſſu carminis alterius Marciani, quod origine et cauſſis demonſtratis exponit LIVIVS his verbis: g) *Haec eſt origo LVDORVM APOLLINARIVM: victoriae, non valetudinis ergo, vt plerique rentur, votorum.* Athenienſes Gymnaſium ſuum Apollini Medico dedicaſſe, auctor eſt PLVTARCHVS, h) eius rei qui hanc rationem eſſe putat: Οὐδὲ Ἀθηναίοις εἰκός ἐστιν ΑΠΟΛΛΩΝΙ καθιερῶσαι τὸ γυμνάσιον ἀλόγως καὶ αὐτομάτως. Ἀλλὰ παρ' οὗ τὴν ὑγίειαν ἔχομεν Θεοῦ, τοῦτον εὐεξίαν τε διδόναι καὶ ῥώμην ἐπὶ τοὺς ἀγῶντας ᾤοντο. De numero ſeptenario eidem variis de cauſſis, et praecipue ob Medicinam, ſacro, multa diſputant MEIBOMIVS, i) et MEVRSIVS. k)

C Et

b) PAVSANIAS *in Phocicis,*
c) MEIBOMIVS *in comment. ad iusiur. Hip. Cap. IV. ex* DIONIS *Cap. I. refert.*
d) *Annal. Lib. III.*
e) *Lib. IV. cap. 25.*
f) *Lib. XL. cap. 51.*
g) *Lib. XXV. Cap. 12.*
h) *Sympoſ. Lib. VI. Quaeſt. IV.*
i) *in Comment. ad iusiur. Hip. Cap. IV. §. 15.*
k) *in libro de Denario Pythagorae.* Conf. POLLVC. *Onomaſticon Lib. IV. Cap. 25. Segm. 178. edit. Hemſterhuiſii.*

Et haec de APOLLINE, *artis Medicae inuentore*, eiusdemque Numine Tutelari ſufficiant.

## §. XVI.

Ordine iam progredimur a parente Apolline, ad filium AESCVLAPIVM, Graecis ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ, qui etiam Latinis imitatione Graecorum ASCLEPIVS dictus eſt, item artis Medicae inuentorem et praeſidem. Vel nomen ipſum id propria ſua vi deſignare, multis et praecipue SVIDAE l) viſum eſt, ſed, qui id cenſent, videant, qua ratione id nominis aliis etiam conuenire poſſe credant, non arte medendi inclutis, m) vel etiam ipſi, aliaquoque munera gerenti. Non enim ſolum artis Medicae praeſes fuit, ſed augurii etiam et diuinationum, id, quod egregie teſtatur GR. LIL. GYRALDVS. n) Nunc diligentius nobis diſpiciendum erit, de quo iam Aeſculapio verba ſumus facturi. Tres enim huius nominis apud veteres fuiſſe, pluribus commemorat CICERO, o) niſi fortaſſis etiam in Aeſculapium eadem conueniunt, quae ſupra de Apolline aſſeruimus, vnum nempe eius nominis procul dubio fuiſſe, quem deinceps varie ortu et munere explicato pro diuerſis habuerint. Hoc adfirmantes, eo praecipue nitimur fundamento, quoniam in ſingula recenſione ſinguli Aeſculapii apud CICERONEM, eiusmodi aliquid commune deſcriptum ſentimus, quod ad Aeſculapium, artis Medicae inuentorem, commode applicari poſſit. Sed quisquis tandem ex iis, varii ſi fuerint, erit, fabuloſa ſaltem et ſatis incerta omnia de eiusdem origine produntur. Alii, quos inter princeps TARQVITIVS, p) exiſtimant, illum incertis parentibus natum, expoſitum, et a venatoribus inuentum, lacte nutritum canino, Chironi traditum fuiſſe, a quo poſtea artis Medicae cognitionem perceperit, eundemque proprie Meſſena, Peloponneſi vrbe, eſſe oriun-

l) *Ασκληπιάδης edit. Küſteri* [illegible] *1. p. 351.*

m) *De origine nominis legi merentur, quae contra* BARTHIVM *diſputat* REINESIVS *Var. Lect. Lib. III. cap. 17.*

n) *in Hiſtoria de Diis gentium Lib. VII.*

o) *Lib. III. de Nat. Deor. cap. 22.*

p) *Differens de viris illuſtribus, vt eſt apud* LACTANTIVM.

oriundum; Alii vero, et hi ſuperſtitioſiores, eum credunt Apollini vaga libidine eſſe ſuſceptum, q) Diis enim veteres, nec libidinem, nec inceſtum, turpitudini eſſe ſibi perſuaſerunt, ex filia Phlegyae cuiusdam, partis Boeotiae regis, Coronide dicta, ſiue, vt alii putant, Arſinöe quadam, licet, ſi SCHOLIASTAE PINDARI r) fidem habere decet, haec vna eademque fuerit. Iſti ſaltim prius aſſerentes, non ita longe a vero aberraſſe videntur; ſatis enim ſuperque conſtat, veteres plerumque iis diuinam aſſignaſſe originem, quorum ortus incertus, humilis, atque obſcurus fuit, et quorum tamen inſignia rem in publicam exſtiterunt merita, vt vel ipſi primi vrbis conditores, Romulus et Remus, poterunt eſſe exemplo. Ad locum vero quod attinet, vbi in lucem editus fuit, cum ab aliis, tum a BAYLE s) in primis ita deſignatur: *On dit, que ſa fille Coronis, qui l'accompagnoit (Phlegyas) accoucha en ce tems la d'ESCVLAPE proche d'Epidaure.* De Aeſculapii ortu et natali loco ita eſt apud poëtarum facile principem HOMERVM: t)

Ἰητῆρα νόσων ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ ἄρχομ' ἀείδειν
Υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύου βασιλῆος.

Alii contendunt, eum non a matre viuente eſſe excluſum, ſed potius ex vtero matris mortuae, et iam in rogo collocatae, vt combureretur, eſſe in ſummo tempore eductum, ipſo patre Apolline, munus obſtetricium obeunte, ita quod OVIDIVS v) fuſius demonſtrat:

*Non tulit, in cineres labi ſua Phoebus, eosdem*
*Semina: Sed natum flammis, vteroque parentis*
*Eripuit; geminique tulit Chironis in antrum.*

Curioſam ſatis de origine Aeſculapii ſententiam, inter alias ſic recenſet BERNARDVS DE MONTFAVCON: x) *D'autres parlent*



q) PAVSANIAS *in Corinth.*
r) *Pythior. Od. III.*
s) *Diction. Critiq. et Hiſtoriq. Tom. III. ſous le nom de* PHLEGYAS.
t) *in Hymno in* AESCVLAPIVM.
v) *Lib. II. Metam. v. 628.*
x) *Dans ſon Antiquité expliquée Tom. I.*

*parlent encore bien differemment de l'origine, et de la naiſſance d'Eſculape. Comme ſa mere s'appelloit Coronis, qui eſt le nom propre d'une Nymphe, et en meme tems celui de la corneille, quelques uns ont crû, qu'Eſculape etoit né d'un oeuf de corneille, et qu'il en etoit ſorti ſous la figure de ſerpent.* y) Hinc omnino profectum eſſe videtur, vt in nummis veterum, aliisque in locis, ſerpens ſimplex poſitus, ſemper abſolute Aeſculapium ſignificet. Nummorum ita ſignatorum, duplex exemplum egregium occurrit apud RICHARDVM MEAD. z) Fuit hic Aeſculapius, vel a patre Apolline, a) vel a Chirone Centauro, b) eruditus, tam peritus artis Medicae, vt vel vita defunctos a morte, ſi Diis placet, excitare potuerit, c) quo ſibi Iouis iram concilians, quod omnem naturae ordinem inverteret, fulmine percuſſus, ad inferos fuit detruſus, quam totam fabulam VIRGILIVS ita refert: d)

*Namque ferunt fama, Hippolytum, poſtquam arte novercae*
*Occiderit, patriasque explerit ſanguine poenas,*
*Turbatis diſtractus equis, ad ſidera rurſus*
*Aetheria, et ſuperas coeli veniſſe ſub auras,*
*Paeoniis reuocatum herbis, et amore Dianae*
*Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris*
*Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitae,*
*Ipſe repertorem Medicinae talis et artis,*
*Fulmine Phoebigenam ſtygias detruſit ad vndas.*

Sed

y) *Hac de fabula paſſim occurrit in* LVCIANI *Dialogis.*
z) *p. 40. n. 8. 10. et Tab. III. n. 8. 10.*
a) ὁ πάνυ EZ. SPANHEMIVS *de Praeſt. et vſu Numiſm. Tom. I. p. 215.*
b) HOMER. *Il.* Δ v. 219. et PINDAR. *Pyth. od. III. v. 96.*
c) DAN. VINK *in libr. cit. cap. 1. §. 13. Monendum eſt, veteres tantum per hyperbolen ſic locutos fuiſſe, vt* AESCVLAPII, *ceterorumque magnorum Medicorum excellentem in artis operibus induſtriam extollerent, qui morbo victis, deploratis, et iamiam morituris, in ſumma deſperatione poſitis, et tantum non conclamatis, ſalubribus remediis ſuccurrerent, et veluti exitum iam agitanti animae obſtarent, adeoque de letaliter adflictis cum* DIOD. SIC. *Lib. IV. cap. 73. intelligendum eſt.*
d) *Aeneid. Lib. VII. v. 765. ſeqq.*

Sed a morte reuocatus, a patre Apolline, e) vt ferunt fabulae, in numerum Deorum relatus eſt, vel potius gratia Iouis, Apollini blandientis, aſtris fuit inſertus, OPHIVCHVS appellatus, vt ex ERATOSTHENE quodam SALOMON CELLARIVS demonſtrat. f) PAVSANIAS quidem in *Corinthiacis* contendit ſummo opere, Aeſculapio ſemper fuiſſe diuinitatem, ſed eundem ſatis confutarunt LILIVS GYRALDVS, g) et Cl. SCHVLZIVS. h) Aeſculapium potius, quod veri ſimillimum eſt, ob inſignia artem in Medicam merita, Deorum in numerum relatum fuiſſe, exiſtimat excellentiſſimus ille C. CELSVS, i) Deus Medicorum CASAVBONO dictus. LACTANTIVS k) compendiaria quadam ratione de eiusdem ortu, exitu et meritis his verbis haud ita honorifice exponit: *Aeſculapius et ipſe non ſine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud diuinis honoribus dignum, niſi quod ſanauit Hippolytum? mortem ſane habuit clariorem, quod a Deo meruit fulminari.* Illum Medicinam Gymnaſticam primum inueniſſe, et Clinicen, quam vocant, de eo quidem nobis nondum ita effectum ex ſcriptorum locis eſſe videtur, vt id cum Cl. VINK l) liquido affirmare conaremur, licet non deſint exempla, quibus eundem vtramque exercuiſſe partim probetur. m) Ad cultum eius diuinum quod attinet, DEMPSTERVS n) contendit, eum primum fuiſſe apud Scythas, et hinc eiusdem nomen atque cognitionem dimanaſſe. Quidquid huius erit, id ſaltim certum eſt, eum apud Graecos atque Romanos ea religione, vt Deum Medicum, fuiſſe cultum, vt

 octo-

e) MORERI *dans ſon Diction. Hiſtor. Tom. I. ſous l'article d'Eſculape.*
f) *Origin. et Antiq. Medicinae cap. II.*
g) *Hiſtor. Deor. Gent. Lib. VII.*
h) *Hiſt. Med. Period. I. Sect. II. cap. 4. §. 4.*
i) *Medic. Lib. I. in prooem.*
k) *Diuin. Inſtit. Lib. I. cap. 10.*
l) *in ſaepius laudati libri cap. 1. §. 13.*
m) HIERON. MERCVR. *Lib. IV. de arte Gymn. cap. 7.* GALENVS *Lib. I. de ſanit. tuend. cap. 8.* HYGINVS *Fab. CCLXXIV.*
n) *in Paralip. ad* ROSIN. *Antiq. Rom. Lib. II. cap. 17.*

octoginta circiter *templa* variis in locis exſtructa haberet, ASCLEPIEA dicta, quae recenſet ex ſcriptoribus collata Cel. SCHVLZIVS. o) Quibus in templis ſacra eidem facta fuerunt *caprae*, p) et *gallinis*, q) obiter quod hic notare voluimus. His in aedibus Aeſculapio ſacris, vt etiam in iis aliorum Deorum artis Medicae Tutelarium, Iſidis, Serapidis, immo etiam Vulcani, aegroti collocati fuerunt, in pellibus ſubſtratis iacentes, docente VIRGILIO, r) vt Dei oraculum Medicinae cauſſa conſulerent; quem actum veteres Graeci vocarunt ἐγκοίμησιν, Latini *Incubationem*, id, quod pluribus illuſtrauit eruditiſſimus CONRINGIVS. s) Iidem deinceps dato Dei conſilio conualeſcentes, donaria eidem collocarunt, Graecis ἀναθήματα, grati memoriſque animi monumenta, tabulis etiam in templo ſuſpenſis, quibus morbus fuit inſcriptus, quo quis laboraſſet, medicinae facta mentione, qua iſte fuiſſet curatus, cuiusmodi plura egregia occurrunt exempla in primis apud HIERONYMVM MERCVRIALEM. t) Celeberrima certe *templa* eſſe videntur, *Coum*, *Smyrnaeum*, *Epidaurium*, et hinc eius cultu Romam translato, ipſum *Romanum*. Hanc vero Dei ex Graecia in Latium migrationem, fuſius exponit VALERIVS MAXIMVS, v) immo omnium optime LIVIVS, qui eundem iuſſu librorum Sibyllinorum huc arceſſitum, Romamque translatum eſſe memorat: x) *Cum ciuitas*, inquit, *peſtilentia laboraret*, *miſſis legatis*, *vt AESCVLAPII ſignum Romam ab Epidauro transferrent*; *anguem*, *qui ſe in eorum nauem contulerat*, *in quo ipſum numen eſſe conſtabat*, *deportauere*: *eoque in inſulam Tiberis egreſſo*, *eodem loco ſedes Aeſcu-*

o) *Hiſt. med. Period. I. Sect. II. cap. 4. §. 6.*

p) SERVIVS ad VIRG. *Georg. Lib. II. v. 380.*

q) ALEXANDER ab ALEXAN. *Genial. Dier. Lib. III. cap. 12.*

r) *Lib. VII. Aeneid. v. 85. et 92.* Vid. SERVIVS *ad h. l.*

s) *de Incubatione in fanis Deorum Medicinae cauſſa olim facta. Helmſtadii 1659.* Conf. VINK *Amoen. Phil. Med. cap. V.*

t) *De arte gymnaſtica Lib. I. cap. 1.* Conf. TOMASINI *Liber ſingularis de Donariis et tabellis votiuis in* GRAEVII *Theſaur. Antiq. Rom. Tom. XII. p. 746.*

u) *Lib. I. Cap. VIII. de Miraculis.*

x) *In Epitome Lib. XI.*

*Aeſculapii conſtituta eſt.* Cur templum Aeſculapii apud Romanos extra vrbem collocatum fuerit, rationes eleganter diſquirit PLVTARCHVS. y) Supplicationem Aeſculapio a Romanis habitam narrat idem paullo ante. z) Inſula Tiberis poſtea *inſula Aeſculapii* κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur, quod ex hoc SVETONII loco apparet: a) *Cum quidam aegra et affecta mancipia in INSVLAM AESCVLAPII taedio medendi exponeret,* etc. Deſignant eum etiam vt Deum artis Medicae inuentorem et Tutelarem, quam plurima nomina, quibus praeditus fuit, ſimulacra eius, imagines in nummis, inſcriptiones ei ſacrae, ludi, et feſti dies publice conſtituti, et ſi qua reliqua erunt rei probandae argumenta. Ex cognominibus praecipua hic loci nominaſſe licebit. b) Dicitur PINDARO c) παντοδαπῶν ἀλκτῆρ νόσων. STATIVS d) eundem vſurpauit *Deum mitem, et maximum aegris auxiliatorem, et feſtinantia ſiſtentem fata.* ARISTOPHANES e) Deum noſtrum vocauit μέγα βροτοῖσι φέγγος. Smyrnaei Aeſculapium, rerum omnium potentem ſomniantes, ΔΙΑ ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ nominarunt. f) PLVTARCHVS tandem eum inſigniuit nomine magnifico g) ἡγεμόνος ἰατρῶν. Pingitur et fingitur plerumque facie ſenili, barba longius promiſſa, de qua luſus impius Dionyſii Tyranni apud

y) *Quaeſt. Rom. p. m. 286. interprete Xylandro.*

z) *Lib. X. cap. 47.*

a) *Lib. V. in vit.* TIB. CLAVD. CAES. *cap. 25.*

b) Plurima huiusmodi inueniuntur apud LILIVM GYRALDVM, *in hiſtor. Deor. Gent. Lib. VII.*

c) *in Pyth. Od. III.*

d) *Lib. III. Siluar. Carm. 4.* Huc referendum erit DEMOSTHENEM oratorem, iurare conſueuiſſe per Aeſculapium, vt Deum mitem ſic narrante PLVTARCHO *in decem Rhetorum vitis p. m. 845.* Ὤμνυε δὲ (Demoſthenes) καὶ τὸν ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ, προπαροξύνων Ἀσκλήπιον, καὶ παρεδείκνυεν αὐτὸν ὀρθῶς λέγοντα, εἶναι γὰρ τὸν θεὸν ἤπιον. καὶ ἐπὶ τούτῳ πολλάκις ἐθορυβήθη. Conf. ADAMI RECHENBERG: *Diſſertatio, de Diis Deabusque veterum gentilium Milichis.* Lipſiae MDCIC. *Sect. II. cap. II. §. 7.*

e) *in Pluto: vbi chorus ad Carionem Act. III. Scen. I. v. 639.* Conf. BISETVM *ad locum eundem.*

f) RICHARDVS MEAD *de num. Smyrn. p. 52.*

g) *Sympoſ. Lib. VIII. quaeſt. 14.*

apud CICERONEM refertur, h) licet etiam imberbis ſpecie iuuenili apud quosdam inueniatur, teſte PAVSANIA; i) vel ſtans baculo nodoſo nitens, quem ſerpens cingit, artis Medicae ſignum, vt ſupra declarauimus, vel in throno ſedens magnifico, vt fuit apud Epidaurios, quod ſcribit PAVSANIAS, k) altera manu gerens ſcipionem, altera premens caput draconis, cane ad pedes decumbente. Omnia haec, quae iam ſimulacris Aeſculapii adiuncta recenſuimus, eſſe notas, quae illi Medicinae gratia addantur, plurimi putant, ſed cum coniecturae ſint magis, quam vt certum aliquid in iis definire liceat, non dignum iudicamus, cui diutius inhaereamus dicendo. Singulorum ſingulas rationes ex auctoribus conquiſiuit atque ſuppeditauit diligentiſſimus MEIBOMIVS, l) quem ſis huc conferre poteris. In nummis Smyrnaeis RICHARDI MEAD, plures etiam inueniuntur, Aeſculapii imagine varie ſignati, ita quidem, vt plerumque Hygeam filiam in altera parte adiunctam habeat, quod etiam in variis aliis monumentis et marmoribus illi dicatis animaduertimus, de qua quidem re paullo inferius ſumus adhuc quaedam diſputaturi. Siſtitur in iis maximam partem ſedens, caput ſtrophio reuinctum habens, palliatus, ſmilam, id eſt, gladiolum chirurgicum manu ſiniſtra gerens, dextra labiis adplicata, baculo longiori adiuncto, ſtella ante eius pectus collocata, vt eſt in illo, Smyrnae eo tempore percuſſo, quo ludi annui illic ederentur, *ſacri Aeſculapici* vocati, m) partim ſtans cum Hygea et Teleſphoro, n) et qui ſunt reliqui modi. o) Dantur etiam alii nummi Aeſculapii imagine inſigniti apud Neapolitanos, Damaſcenos, Dienſes, Deultanos, cuiusmodi apud hos vltimos percuſſi, et M. Iul. Philippo Seniori conſecrati refert exemplum VAILLANT, p) hanc addens rationem, Philippum fortaſſis in bello Scythico aegritudinem paſſum eſſe, pro cuius ſalute Deultani Aeſculapio

h) *de Nat. Deor. Lib. III. cap. 34.*
i) *in Corinthiacis.* Conf. GISBERTI CVPERI *Harpocrates p. 79.*
k) *in Corinthiacis.*
l) *in Commentario ad iusiurandum Hippocratis cap. V.*
m) RICHARD. MEAD. *in num. Smyrn. p. 42. Tab. I. n. 1. 2. 3. 4.*
n) *ib. Tab. III. n. 13.*
o) *ib. Tab. II. n. 3. Tab. III. n. 8. 9. 10. 15. 16.*
p) *in num. aer. Impp. Part. II. in numm. M. Iul. Philippi, Senioris.*

lapio, qui cum patre Apolline vrbis Deultanae Deus Tutelaris fuit, ſacra perpetrauerint. Si cui Deo artis Medicae Tutelari plurima vota facta fuerunt inſcriptionibus, id ſane accidit Aeſculapio. Ita apud GRVTERVM in lapide cum Hygea filia dicitur ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΣ: p)

ΚΥΡΙΩ. ΑΣΚΛΗ
ΠΙΩ. ΚΑΙ. ΥΓΙΗ
ΘΕΟΙΣ. ΕΠΙΚΟΥΡΙΟΙΣ
ΜΑΡ. ΜΕΜΜ. ΛΟΝ
ΓΟΣ. ΒΕΝΕΦ. ΕΥΧΗΣ
ΧΑΡΙΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Et in alio monumento vocatur, vt et Hygea, SALVTARIS, q) et in alio ΣΩΤΗΡ: r)

ΑΣΚΛΗΠΙΩ
ΚΑΙ. ΥΓΕΙΑ
ΣΩΤΗΡΣΙΝ
ΠΟΛΙΟΥΧΟΙΣ

Aeſculapium in inſcriptione quadam ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΝ vocatum, inſigni antiquae eruditionis apparatu demonſtrauit Cl. SCHWARZIVS, vir numquam ſine honore nominandus. s) Ludorum et dierum feſtorum ei conſecratorum paſſim fit mentio apud veteres auctores, quorum locos nonnullos collegit CELLARIVS. t) Ludi in AESCVLAPII SERVATORIS honorem inſtituti, in luco eidem Deo ſacro iuxta Epidaurum celebrati ſunt. v) Huc referenda erunt CVRTII verba: x) *Vota deinde*, inquit, *pro ſalute ſuſcepta*

D *per*

p) *p. LXVIII. n. 6.*
q) *p. LXXIX. n. 2.*
r) *p. LXVIII. n. 5.*
s) in elegantiſſima Expoſitione veteris inſcriptionis: *De Aeſculapio et Hygea, Diis* φιλανθρώποις. Altorfii 1725.
t) *Orig. et Antiq. Med. cap. II.*
v) SCHMIDIVS *ad Pindar. Nemeon. Od. III. in fine* et *Od. V.*
x) *Lib. III. cap. 7. §. 3.*

*per ludum atque otium reddens oſtendit, quanta fiducia Barbaros ſperneret; quippe AESCVLAPIO, Mineruae LVDOS celebrauit.* Feſtum anniuerſarium apud Coos in eius honorem inſtitutum, Ῥάβδȣ ἀνάληψιν dictum, fuſius exponit Illuſtris SPANHEMIVS. y) Fuit etiam *collegium* quoddam peculiare Romae, *Aeſculapio et Hygeae* filiae *conſtitutum*, quod ex SPONIO refert doctiſſimus SCHWARZIVS, z) qui hoc ſingulare de eo adiungit: *Cui COLLEGIO Saluia Marcellina,* inquit, *nobilis opulentaque matrona, locum aediculae, et ſummam pecuniae non contemnendam dederat, vt ſocietas LX. hominum certis anni diebus eam aediculam frequentaret, et in ea rebus diuinis, epuliſque ſollemnibus, defungeretur.*

## §. XVII.

Aeſculapius habuit etiam vxorem quandam *Epionem*, Herculis filiam, hoc enim a natura Deorum haud alienum eſſe putauerunt, vel vt aliis videtur, *Lampetiam*, a) ex qua, quaecunque ſit, duo ſuſcepit filios, *Podalirium* et *Machaonem*, b) item ob artis Medicae peritiam celeberrimos, et ſex filias, vt plerumque narratur, HYGEAN, PANACEAN, *Iaſo, Aceſo, Aeglen* et *Romen*, quibus omnibus ab artis officiis vel emolumentis, Patrem nomen indidiſſe, ex SCHOLIASTE in ARISTOPHANIS *Plutum* MEIBOMIVS colligit, c) quod etiam veri ſimile admodum eſt, ſi quando diligentius in ipſorum nominum primam et propriam vim et poteſtatem inquirimus, in omnibus enim aliquid reperies, quod commode huc referri

y) *in epiſtola ad* MORELLIVM *p. 69.* Conf. SCHWARZ. *l. c. p. 53.*

z) *in loc. cit. p. 22.* De Aeſculapio conferri etiam poterit GISBERTVS CVPERVS *in Harpocrate p. 78. ſeqq.*

a) Conf. BERNARDI DE MONTFAVCON *Antiquité expliquée Part. I. Tom. I. et* SCHOLIASTES *in* ARISTOPHANIS *Plut. Act. III. Scen. 2. v. 702.*

b) CORNEL. CELSVS *Medic. Lib. I. cap. 1.*

c) *in Commentar. ad iusiur. Hippoc. cap. VI.*

ferri poſſit. Sed his miſſis, dicere iam adgredimur, de HYGEA, vel ſi mauis, HYGIA. Paucis adhuc antea notare iuuat, quid veteres Graeci generatim per ὑγείαν intellexerint. Vox illa proprie denotat *ſalutem, integritatem corporis, valetudinem bonam*, deinceps vero etiam ſignificat *mazam*, quae quondam in ſacris data fuit, vt guſtaretur, ſic teſtante ATHENAEO: d) ὑγεία δὲ καλεῖται, ἡ διδομένη ἐν ταῖς θυσίαις μᾶζα, ἵνα ἀπογεύσωνται. Et tandem etiam ὑγεία nominata fuit *portiuncula illa, quam veteres e templis aut ſacrificiis ſecum domum deportarunt*, vt fuit *vnguenti aliquid, frons virens*, et quae ſunt eiusmodi alia, et quidem ideo ſic vocata, quoniam illi ſuperſtitioſi ſibi perſuaſerunt, haec ex loco ſacro per furtum ſublata, ſuae prodeſſe valetudini atque ſaluti. e) Haec HYGEA noſtra, omnium Aeſculapii liberorum facile princeps, Latinis dicitur SALVS et SANITAS, quae etiam ipſius vocis eſt propria ſignificatio, DEA VALENTIA etiam, vt STRVVIO f) videtur, quamquam hoc nomen magis *Romae* ſorori conuenire, ſummo opere contendunt MEIBOMIVS g) CELLARIVS h) et SCHWARZIVS, i) quorum ſententiae et nos iure meritoque ſubſcribimus, quoniam Graecam vocem ῥώμην commode latine per *valentiam* exprimere poteris. De hac generatim mox ſub initium erit notandum, ne qua deinceps in dicendo oriatur confuſio, eam duplicem fuiſſe, aliam ΥΓΕΙΑΝ ΔΗΜΟΣΙΑΝ Graecis, Latinis SALVTEM PVBLICAM, k) quae apud vtramque gen-

 tem

d) *Deipnoſoph. Lib. III. cap. 3.* Conf. POLLVC. *Onomaſticon Lib. VI. cap. 2. Segm. 76. Edit. Hemſterhuiſii.*

e) Conf. PFEIFFERI *Antiquitatum Graecarum Gentilium Lib. I. cap. 31.*

f) *Antiquitatum Romanarum Syntagm. cap. I. p. 130.*

g) *in Comment. ad iusiur. Hippoc. cap. VI.*

h) *Origin. et Antiq. Medicinae cap. III. §. 6.*

i) in peregregia Diſſertatione *de Aeſculapio et Hygea, Diis* φιλανθρώποις *§. XIII. p. 27.*

k) Vid. DEMPSTERVS *in paralip.* ad ROSIN. *Antiq. Rom. ad Regionem ſextam de* SALVTE. et CHERBVRY *de religione Gentilium, errorumque apud eos cauſis p. 261.* STRVVIVS *l. c. p. 130.*

tem quam religioſiſſime culta fuit, aliam vero hanc noſtram ΥΓΕΙΑΝ, SALVTEM, SANITATEM, Aeſculapii filiam. Vbi ea in lucem ſit edita, de eo, quantum ſcimus, non occurrit mentio apud auctores, nec conſtat, quomodo educata ſit, et a quonam artem Medicam didicerit, quam Medicinae cognitionem eidem a parente inſitam atque innatam, procul dubio veterum credidit ſuperſtitio, quamuis etiam non obuenit exemplum, vbi eandem exercuiſſe expreſſis verbis dicatur. Hoc eſt certiſſimum, eam et apud Graecos et Romanos ſumma cultam eſſe religione, vt Deam artis Medicae Tutelarem, et cum ſolam, tum etiam praecipue cum patre Aeſculapio vna eſſe celebratam in ſimulacris, nummis, atque inſcriptionibus. Comprobant id vberius plurima *templa* apud vtramque gentem eidem ſacra, vt apud Graecos erit illud exſtructum ab Athenienſibus et Megarenſibus, l) Epidauri incolis, Corinthiis, Argiuis, m) Aegienſibus et reliquis, n) et apud Romanos illud, quod cum patre Aeſculapio habuiſſe dicitur commune, referente ex POMPONIO LAETO Cl. MEIBOMIO. o) Dona SALVTI noſtrae, et Apollini, et Aeſculapio, vota ſunt, tempore peſtilentiae, tertium iam annum vrbem Romam atque Italiam vaſtantis, teſtante LIVIO. p) Hic et aedis Saluti conſecratae fecit mentionem his verbis: q) *Eodem anno aedes* SALVTIS *a. C. Iunio Bubulco Cenſore locata eſt, quam Conſul bello Samnitio vouerat.* Sed haec non SALVTI noſtrae, vt falſo putat MEIBOMIVS, r) ſed *publicae* potius; quod longe veriſimilius eſſe videatur, hoc templum ob publicam populi ſalutem recuperandam eſſe locatum, quam vt quis pro ſua reſtituenda valetudine priuatim Deae ſalutari vouens,

l) PAVSANIAS *in Atticis.*
m) *Id. in Corinthiacis.*
n) *Id. in Achaicis.*
o) *in comment. ad iusiur. Hippocr. cap. VI.*
p) *Lib. XL. cap. 37.*
q) *Lib. IX. cap. 43.*
r) *loc. cit. §. XII.*

vouens, continuo eidem in loco publico aedem ſacram aedificandam curauerit, quod magis peractum fuit inſcriptionibus in tabulis exaratis, quas veteres in templis Deorum Salutarium ſuſpendere conſueuerunt. Vtitur etiam nobiscum eadem ſententia Cel. STRVVIVS, s) et hanc addit rationem, quod hoc templum, iam duodecim annos ante Aeſculapium Romam delatum, Saluti locatum ſit. Ad *augurium Salutis* quod attinet apud Romanos, falſo omnino aſſerit MEIBOMIVS, t) id ad noſtram ſpectaſſe Salutem, fuit enim diuinationis genus, v) quo probatum eſt, concedantne ipſi Dii, vt populo ſalutem poſtulent, de quo errore MEIBOMIVM notauit CELLARIVS. x) Dantur Hygeae complura *ſimulacra*, in quibus interdum ſola, plerumque tamen patri Aeſculapio adiuncta, peculiari habitu veſtita conſpicitur. Fingitur maximam partem habitu matronali, veſte alba talari, cum patella, cui maza imponitur, ad quam ſerpens adſpirat, ſaepe etiam pingitur ſerpens ex manu porrigentis Hygeae accipiens, vt refert Cl. SCHVLZIVS. y) Paullo accuratius habitum et Aeſculapii, et Hygeae demonſtrat GRVTERVS, z) in explicatione tabulae cuiusdam marmoreae, quae Romae inuenitur, excellentiſſima chirurgia docta manu ſculpta, exprimens Aeſculapium et Hygeam, ſtantes, hac addita inſcriptione:

NVMINIBVS. SANCTIS

C. PVPIVS. C. F. ANI. FIRMINVS. D. D.

*Stat hic Aeſculapius veſti involutus, dextro humero cum pectore nudus, fructus e lance, quam dextra tenet, draconi flexuoſiſſimo, criſtato, barbatoque ac ſeſe per varia volumina erigenti porrigens.*

*Hygia picta eſt veſte vna longiori, cui altera breuior ſuperiniecta eſt, induta, humero etiam dextro aliquantulum nudato: alteri draconi etiam flexuoſiſſimo ac barbato, ſed non criſtato, fructus itidem e lance offerens.*

 Stat

s) *Syntagm. Antiq. Rom. cap. I. p. 140.*
t) *in loc. cit. §. 17.*
v) DIO CASSIVS *Lib. XXXVII.*
x) *Orig. et Antiq. Medic. cap. VII. de Augurio Salutis.*
y) *Hiſtor. Med. Period. I. Sect. II. cap. 4. §. 20.* z) *p. LXVIII.*

Stat etiam alias, vt in nummis, habitu matronali, ſerpentem dextra tenens, vel interdum ſiniſtra, altera patellam porrigens. Simulacrum Hygeae, vbi patri Aeſculapio adſtat, demonſtrat PAVSANIAS a) his verbis: Ἄγαλμα ἔχει καθήμενον Ἀσκληπιὸν λίθου λευκοῦ, καὶ παρ᾽ αὐτὸν ἕστηκεν ΥΓΕΙΑ. Iam ad *nummos* accuratius conſiderandos tranſgredimur, qui eius imagine inſigniti ſunt. b) Offert ſe in iis, quos RICHARDVS MEAD, vtinam omnes bona cum fide, collegit, partim capite tantum laureato, c) vbi pars auerſa ſiſtit Aeſculapium ſedentem eo habitu, quo eum ſupra deſcripſimus, et habentem ante pectus ſtellam maiorem, additis illi celebriorum eius temporis Medicorum nominibus, quod in variis animadvertimus. Conſpicitur in alio capite eodem modo ornato, facilius quam in priori cognoſcenda, cum inſcriptione: SALVTIS, d) vbi in altera parte eadem tota ſiſtitur habitu conſueto, maiorem ſerpentem dextra prae ſe ferens. In alio videmus eam etiam ſimplici capite laureato, e) et altera in parte, patrem Aeſculapium, ſerpente maiori denotatum, addita inſcriptione: ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ, et quae ſunt adhuc aliae et variae eius ibidem in nummis formae atque figurae. f) Plures dantur etiam veterum *inſcriptiones*, quarum maxima pars Hygeae et Aeſculapio ſimul vota eſt. Vt apud GRVTERVM inter alia g) etiam haec occurrunt exempla: h)

AESCV-

a) *in Corinthiacis.*
b) Conf. VAILLANT *in num. Impp. Part. II. in nummis Marciae Otaciliae Seuerae.*
c) *in nummis a Smyrnaeis in honorem Medicorum percuſſis Tab. I. n. 1. Tab. II. n. 1. 2.*
d) *ibid. Tab. II. n. 4. 5.*
e) *ibid. Tab. III. n. 10.*
f) *eod. in loc. Tab. III. n 8. 11. 13. 14.*
g) *p. XXXI. n. 10. p. LXVIII. n. 3. p. LXIX. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*
h) *p. LXVII. n. 9.*

AESCVLAPIO. ET. HYGIAE
CAETERISQ. DIIS. DEABVSQVE
HVIVSQ. LOCI. SALVTARIB.
C. IVL. FRONTONIANVS. VET
EX. B. F. COS. LEG. V. M. P. REDDI
TIS. SIBI. LVMINIBVS. GRAT
AG. EX. VISO. PRO. SE. ET. CAPSIA
MAXIMA. CONIVG. ET. VILIA
FRONTINA. FILIA. V. S. L. M

Ibidem n. 10.

NVMINI. AES
CVLAPI. ET. HY
GIAE. PRO. SA
LVTE. DO
MINOR. N. N.
AVG
ANTROCIVS
VERNA. IPSOR
EX. DISP. POS

et p. LXVIII. n. 1.

ASCLEPIO. ET
SALVTI
COMMILITONVM
SEX. TITIVS. ALEXANDER
MEDICVS. CHO. V. PR.
DONVM. DEDIT
AVG. VIII
T. FLAVIO. SABINO. COS

Ibid. n. 2.

ASCLEPIO. ET. SALVTI
COMMILITONVM. COH. VI. PR.
VOTO. SVSCEPTO
SEX. TITIVS. MEDIC. COH
VI. PR
D. D

Item

Item marmor notatu dignum, quod apud REINESIVM i) occurrit:

AESCVLAPIO. ET. SA
NITATI

et tandem illa inſcriptio, Hygeae tantum dicta: k)

HYGIAE
AVG
MIL. LEG. VI
VOTVM
SOLVIT

Exſtant etiam duo *Hymni* Hygeae ſacri, quorum alterius fuit auctor ARIPHRON SICYONIVS, l) et alter inuenitur inter ſic dictos Orphicos. m) Hic notari poterit, vel id ad noſtram Hygeam ſpectare putes, quod admodum veriſimile eſſe videtur, vel ad Salutem publicam, quod refert de ANTIOCHO SOTERE ABRAHAM ORTELIVS, n) eum nempe ὑγιείας ſymbolum pro teſſera dediſſe militibus pentagoni forma, teſte LVCIANO. De poculo Hygeae ſacro, quod veteres abſoluta manuum lotione poſt coenam, vnde Graecum nomen ortum eſt, ſumere conſueuerunt, ita relatum inuenimus apud POLLVCEM: o) Ἡ δὲ μετανιπτρὶς, κύλιξ ἐστὶν, ἣν μετὰ τὸ ἀπονίψασθαι ἐλάμβανον. Τὸ δὲ ὄνομα, οὐ τοῦ κατὰ τὸ ἔκπωμα σχήματος ἀλλὰ τῆς τάξεως. Ἦν δὲ καὶ ΥΓΕΙΑ ἱερὰ, ὥσπερ καὶ Διὸς Σωτῆρος κρατὴρ, ἱερὸς ἦν. p)

§. XVIII.

i) *Inſcript. Cl. I. n. CXVIII.*
k) GRVTERVS *LXIX. n. 7.*
l) *Extat apud* ATHENAEVM *Deipnoſ. Lib. XV.*
m) *p. 165. edit. Eſchenb.*
n) *Deorum Dearumque capita Lib. II. fig. 57. in* GRONOV. *Theſaur. Antiq. Graec. Vol. VII. p. 295.*
o) *cit. edit. Lib. VI. cap. XVI. Segm. 100.*
p) de Hygea conf. IOSEPHI LAVRENTII *varia ſacra gentilium Cap. XIII.* in GRONOV. *Theſ. Antiq. Graec. Vol. VII. p. 193.*

## §. XVIII.

De PANACEA tandem dicturi, ipſius vocis propriam vim prius examinemus neceſſe erit, quam ipſam adgrediamur tractationem. Vox nempe graeca eſt, et ſignificat *medicinam, omnibus morbis medentem*, et dicitur quaſi ἡ πᾶν ἀκεῖται, quae omnia curat. Inter beneficia Apollinis Medica hoc etiam recenſet Cel. SCHVLZIVS, q) eius crines ſtillaſſe *panaceam*, quae, in quamcunque regionem et vrbem deciderit, omnia reddiderit incolumia. Panacea etiam herbam *cunilam bubulam* apud PLINIVM denotat, r) qui eam ita commemorat: *Item teſtudines cum ſerpentibus pugnaturae, hac* (cunila bubula) *ſe muniunt, quidamque in hoc vſu* PANACEAM *vocant.* Quo maior fuit dicendorum copia in praecedentium numinum hiſtoria enarranda, hoc minor atque tenuior in Dea noſtra recenſenda nobis offertur materies, quae tamen de eadem apud meliores ſcriptores occurrunt, maximam ſaltim partem hic communicabimus. Fuit ex filiabus Aeſculapii, vt ſupra demonſtrauimus, vt Dea culta, quod vel ara comprobabit, quam cum ſorore Hygea communem habuit teſtante PAVSANIA. s) Per hanc PANACEAM, Aeſculapii filiam, peculiare quid intellexiſſe veteres putat CLERICVS t) in explicatione nominum, quibus filiae Aeſculapii inſignitae fuerunt: *Par Iaſo* et PANCEA, *qui ſont la meme choſe, que la gueriſon, et la Medicine vniuerſelle, l'on a voulu inſinuer, que le bon air gueris ſoit toutes les maladies.* Mentionem Panaceae ARISTOPHANES fecit duplici in loco, u) quorum in vltimo etiam eam patri Aeſcula-



q) *Hiſtor. Medic. Period. I. Sect. II. cap. I. §. 8.*

r) *Hiſtor. Nat. Lib. XX. Tom. IV. p. 62. Edit. Harduini in aſum Delphini.*

s) *in Atticis.*

t) *Dans l'Hiſtoire de la Medicine Liu. I. Chap. 19.*

u) *in Pluto Act. III. Scen. 2. v. 702. et 730.*

pio adſtitiſſe, Plutum a caecitate liberaturo, hunc in modum narratur:

ἡ ΠΑΝΑΚΕΙΑ δὲ

Κατεπέτασ' αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν Φοινικίδι

Καὶ πᾶν τὸ πρόσωπον

Habuit illa etiam feſtum peculiare dictum ſuo nomine ΠΑΝΑΚΕΙΑ, x) quid vero in illo actum ſit, eidemne ſacrificia facta ſint pro ſalute, nec ne, non occurrit apud rerum geſtarum ſcriptores. Cur per PANACEAM et HYGEAM tantum, aliis Aeſculapii filiis, filiabusque omiſſis, Hippocrates potiſſimum voluit iurari, eius rei veram rationem ſibi inueniſſe viſus eſt Cl. MEIBOMIVS, y) quae tamen vaga potius eſt coniectura, quam vt certiori quodam et firmiori nitatur fundamento.

## §. XIX.

SEd de his iam dicta ſufficiant. Ad TE tandem, VIR CLARISSIME atque DOCTISSIME, adgredior, TIBI hanc qualemcunque tenuis ingenii fructum, coniunctiſſimae noſtrae familiaritatis monumentum, oblaturus. Non miraberis, qui id fiat, cum vel in vulgus notum ſit, quanti TE faciam, et quam eximia per hoc biennium, quo ante TE primum nouiſſe

et

x) Refert id MEVRSIVS *Graeciae Feriatae Lib. V. ex* THEODORET. *Therap. VII. in* GRONOV. *Theſaur. Antiq. Graec. Vol. VII. p. 834.*

y) *in commentario ad iuſiurandum Hippocratis cap. VI. ſub finem.*

mihi honor contigit, noſtra fuit amicitia, quamque inſignis adhuc illa duret. Veni huc Lipſiam, vidi TE, et continuo etiam vici animum TVVM, vt me dignum iudicares, quem amore proſequereris atque fauore. Amicitiae autem verum nobis fuit principium, quod putat PLVTARCHVS. z) Vſi ſcilicet ſumus vno eodemque domicilio, et victu, ſtudiorumque ratione communi, quae omnia, mea quidem ſententia, ſi accedat adhuc animorum ſimilitudo, ad parandam amicitiam pariter et confirmandam, ſunt vel maxime accommodata. Vt iam taceam, praeclaram TVORVM morum manſuetudinem, rerumque cognitionem ſingularem, quae tamen hic loci iuſtis laudibus euehere, per TVAM modeſtiam non licet, me TVI reddidiſſe ſtudioſiſſimum. Nunc ipſe colligas velim, quo animo TVVM me diſceſſum ferre poſſe exiſtimes? Sed cum hinc in Academiam Pragenſem abeas, vt ſtudia, quae tanta cum laude coepiſti, perficias, et ſummos, quibus TE omnes dignum iudicant, honores capeſſas, mihi etiam durae

z) *in Commentario de adulatoris et amici diſcrimine p. m. 51.* Ἀρχὴν δὲ φιλίας ἔφαμεν εἶναι τοῖς πλείστοις, τὴν ταῦτα μὲν ἐπιεικῶς ἀσπαζομένην ἔθη καὶ ἤθη, τοῖς δὲ αὐτοῖς χαίρουσαν ἐπιτηδεύμασι καὶ πράγμασι καὶ διατριβαῖς, ὁμοιοπαθῆ διάθεσίν τε καὶ φύσιν. et Idem *de amicorum multitudine p. m. 93.* τι οὖν, inquit, νόμισμα φιλίας; εὔνοια καὶ χάρις μετ᾽ ἀρετῆς, ὧν οὐδὲν ἔχει σπανιώτερον ἡ φύσις.

durae temporum conditioni aliquid dandum erit atque concedendum. TE iam Lipſiae, amicis, mihi vltimum vale dicentem, omnibus precibus hic commorarer, nec digredi paterer, niſi id mihi aliquod iuſti doloris daret linimentum, TE eo fine, eo conſilio, in celeberrimam Pragenſem Academiam reuerti, vt aliquando dignis adauctis muneribus ad nos redire posſis. Vale itaque, AMICE integerrime, Deus Optimus Maximus ſaluum TE praeſtet atque incolumem, TVIS clementiſſime bene dicat ſtudiis, vt in rei publicae ſalutem, et ſplendidae familiae, MATRIS inprimis CARISSIMÆ, decus atque ornamentum talis euadas, quem TE iam pridem omnes cognitum iudicarunt, TEque tantum temporis ſpatium ſoſpitem eſſe patiatur, dum naturam ipſam ſatietate viuendi expleueris. Ad me vero, noſtramque amicitiam, quod attinet, mei et illius etiam in diſſitis regionibus vt numquam non memor eſſe velis, a TE omnibus precibus peto atque contendo, non, quod TE idem monere neceſſe putem, ſed quoniam ita rogandi mos eſt. Iterum vale. Dabam Lipſiae ante ipſas Idus Martias cIↄ Iↄcc XXXV.